S. Silentium tuum nondum miramur: sed si porro perrexeris, certe miraturi sumus. Speramus te saluum Altorffium accessisse: quod ut sit optamus. Qui tibi has reddit, is doctor Medicus hic factus ad suos Lipsiam properat. Vixit vix ad mensem nobiscum: Vir omnibus ingenii laudibus ornatissimus; ~~apud~~ in schola Lipsensi clarus, et, ut apparet, gratiosus: eo magis forte properat, quia et uxoris et liberorum charitate mouetur. Ei si tu quid prodesse potes, meo nomine fac ne quicquam praetermittas. Discipulus fuit Simonii, et certe ita, ut eum Magistri haud poenitere debeat. Hic omnia summum illum adhuc statum tenent. Fac tibi Piccolominei Ethica compares: multa habet primo libro de Ordinibus, et profecto contra Zabarellam, praesertim duabus illis nobilissimis quaestionibus, utrum ordo respondeat nostro modo cognoscendi, an uero naturae rerum: deinde, utrum ordinata ad unum aliquod primum referantur. Tuum iudicium postea fac cognoscam. Mylhusani silent: neque ego eos adoro. Nullum dumtamen, quod ego sciam, receperunt. Vale. VI December. Basel.

Expectamus quid Heydelbergae futurum sit: Doctoris~~tam~~ vt centum eo adiecisse.

Ascribe quando putes Laurentium rediturum: fortasse enim ex patre aliquid cognouisti.

T. ex animo

Ph. Scherbij.

Omnibus ingenij ac doctrinae laudibus ornatissimo viro D. Magistro Theoph. Madero Organi Artici Professori in Schola Altorffina acutissimo, amico honorando S.

83

Altorff.